

mus §. XX. homines eos qui *usu rationis pollent*, huic adversitati esse obnoxios. Illa enim, quæ jam ante, quoad actus intellectus & voluntatis huc spectantes diximus § VIII. seqq. utique usum rationis in homine damnationem prægustante supponunt. Neque v. g. homo irrogenitus, atque adeo extra statum gratiæ positus, damnationis sensum percipit, nisi ad se reflexus, esse se extra statum gratiæ, & habere Deum iratum deprehendat. Unde non solum *Infantes* hic excludimus, verum etiam *Maniacos* aut *Phreneticos*: qui, cum alia mala tristitia & horribilia nonnunquam experiantur, tamen, pro suo illo statu, damnationis prægustum proprie loquendo non capiunt: quamvis, quæ phreneticis aliquando accidunt, cum his, quæ alii subeunt, quibus integra ratio est & Satanas tentator ludos infernales facit; similitudinem quandam, quoad ea quæ extrinsecus apparent, habere posse & solere non negemus.

§. XXVIII. Melancholicorum vero, in quibus superest usus rationis, alia ratio est. Hi enim, quo magis ex vi temperamentum in profundas cogitationes ac mœrorem propendunt, & ad recipiendas species undecunque oblatas magis dispositi sunt; hoc facilius perducuntur ad prægustum amari damnationis poculi, & nonnunquam diutius in eo opere perseverant.

§. XXIX. Denique de his etiam, qui natura *Muti & Surdi* sunt, impræsentiarum disquiritur; utrum istud mali ipsis obtingat? annon? Nam quamvis illos, sicut fidei & gaudii spiritualis speique adeo & prægustus vitæ æternæ capaces esse, per signa quæ ipsi de se præbent, constat; ita & subtractionis gratiæ, aut sensus ejus, tristitiæ etiam spiritualis, & metus aut horroris inferni non incapaces esse, concedendum sit; dubitatum tamen fuit a quibusdam; Anne divinæ bonitati consentaneum sit, eos, quos ipse tales condidit, ut externis allocutionibus & solatio subvenire illis alii non possint, in istam conijcere miseriam & periculum tam grande: unde, qui solatii uberius, ex verbo Dei petendi, mediis consuetis destituuntur, nonnisi difficillime eluctentur? Sed bene est, quod iidem ita mox sese explicant, ut *disjunctive* sententiam suam

L 2 *disjunctive* sententiam suam *ex*